

P R A E F A T I O :

carnis & spiritus, itemq; Pœnitentiæ proprietas sumus complexi. Adhèc quia ex quotidiana pœnitentia & veteris hominis mortificatione (veri quippe Christiani vita aliud nihil est quam assidua carnis crucifixio) indies novum hominem existere par est, equidem nihil cōducibilius ei fini invenio præter exemplum Christi Servatoris nostri: cuius proinde vitam ceu ideam & speculum amplecti, ab illiusq; paupertate, contumelia, contemptu, tristitia, cruce, passione, morte; nec non ab oratione, charitate, & humilitate mortificationem carnis auspicari oportet. Quo sane referes quindecim ipsa capitula. Quādo autem à Christi humanitate inchoare & ad ejusdem divinitatem transcendere oportet, ab illius humilitate & vilitate quasi quibusdam gradibus & scala cœlesti in cor Dei patris nostri subeundo inq; illius charitate quiescendo: inde in Christo cor patris nostri cœlestis contemplamur, Deumq; ut summū, eternum, esse entiale & infinitum bonum, ut omnipotentiā im-